

## SECTIO II. — DE EUCHARISTIA QUA SACRIFICIUM EST.

## CAPUT I.

## DE NATURA ET EFFECTIBUS SACRIFICII EUCHARISTICI.

## § I. DE NATURA HUIUS SACRIFICII.

**213.** Sacrificium Eucharisticum solet quoque appellari sacrificium Missae, eo quod offerendum est in sacra caerimonia quae Missae nomine jam a saeculo secundo vocatur. Nomen istud originem ducit a verbo *mittere*, et toti caerimoniae adhaesit ab authentica dimissione, quae a diacono fiebat, catechumenorem, post lectiones peractas, fidelium post ipsa mysteria celebrata. Videsis Hergenröther, Kirchenlexicon, verbo *Messe*.

Pleraque de veritate et natura hujus sacrificii, omnibus e catechetica instructione nota sunt, scientifice vero a Dogmaticis tractantur. Ideo de hoc argumento pauca tantum proponemus quae minus sunt vulgo nota, moralibus autem quaestionibus intimius conectuntur.

**ASSERTA. I.** Tota essentia sacrificii Missae probabilius absolvitur sola consecratione : oblatio autem et communio requiruntur tantum ad ejus perfectionem et integritatem, ut partes praecipuae, et quae proinde numquam sine gravi peccato omitti possint.

Oblationem non pertinere ad essentiam sacrificii, fere omnes admittunt : quia sacrificium non tam verbis quam actione destructiva victimae perficitur. Communionem autem aequo jure cum consecratione ad essentiam pertinere, S. Alph. (n. 305) censet probabilius. Sed perperam, ut videtur. Nam ex traditione patet hostiam jam immolatam et sacrificium oblatum esse, statim ac verba consecrationis prolata sunt. (Franzelin, de Euch. p. 374) Insuper actio sacrificialis exercenda est nomine Christi ; species vero consecratae a sacerdote sumuntur nomine proprio. Attamen, cum communio ad integritatem sacrificii Missae pertineat, in casu celebrantis post consecrationem deficientis, ab alio sacerdote

sumendae sunt species consecratae (n. 202); nisi excuset gravissimum incommodum, vel spatium unius circiter horae elapsam sit antequam alius sacerdos advenerit : tunc enim jam non censeretur unum sacrificium (S. Alph. n. 355) Deinde, ad eandem integritatem servandam, oportet ut sacerdos communicet e speciebus in eadem Missa consecratis, non autem unice ex aliis forsitan consumendis. Hinc tantum apparet quare nomine sacrificii vocetur *Missae praesantificatorum* in die Parasceves, tamquam continuatio sacrificii diei praecedentis. (Franzelin, l. c. p. 394)

**214. II.** Ad essentiam sacrificii Missae requiritur utriusque speciei consecratio.

Etenim essentia sacrificii in religione christiana, quae positiva lege Dei ordinata est, pendet a divina institutione. Jamvero sacrificium N. L. ita a Christo institutum est ut, ex intrinseca sua forma et modo oblationis, sit relativum ad sacrificium cruentum crucis, et in distincta consecratione corporis ac sanguinis, tamquam per mysticam effusionem, repraesentet realem effusionem in cruce peractam. (Trid. Sess. 22. c. 1) Igitur, ubi non habetur nisi obscurior repraesentatio effusionis sanguinis Christi in cruce per unius speciei consecrationem, non habetur verum N. L. sacrificium, aequae ac baptismus nequit valide conferri sub obscura SS. Trinitatis invocatione, eo quod Christus distinctam voluit. (Lugo, disp. 19. n. 106 seqq. ; Franzelin, l. c. p. 392 seqq.) Haec tenenda sunt independenter a systemate theologico quo explicetur formalis ratio sacrificii eucharistici. Optime autem componuntur cum systemate hodie communiore, quo formalis haec ratio dicitur sita in eo quod Christus summus sacerdos, per ministerium sacerdotum ipsius nomine offerentium, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini constituit secundum quamdam sanctissimae suae humanitatis a functionibus et rationibus existendi connaturalibus exinanitionem ad statum cibi ac potus. (Franzel. Th. 16) Nam, licet ita unius speciei consecratio ex se apta sit ut in sacrificium instituat, deficiente positiva institutione, reapse sacrificii rationem non habet. Nihilominus aliqui AA. etiam recentes (Ball. P. n. 230), probabilem ducunt sententiam quae alterutrius speciei consecrationem ad essentiam sacrificii sufficere autumat : quod tamen non videtur admittendum.

Hinc patet numquam licere unam materiam absque altera consecrare (n. 168), et si forte per errorem una tantum materia valida adhibita fuisset, opus esse ut per alterius consecrationem sacrificium compleretur. Ad praxim advertat rubricam Missalis (de defect. IV) : “ Si post verba consecrationis (sacerdos) advertat vinum non fuisse positum, sed aquam, deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in calice et

consecret, resumendo a verbis praedictis : *Simili modo*. Si hoc advertat post sumptionem Corporis vel hujusmodi aquae, apponat aliam hostiam iterum consecrandam et vinum cum aqua in calice, offerat utrumque et consecret et sumat, quamvis non sit jejunos. Vel, si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum, poterit apponere vinum cum aqua et, facta oblatione ut supra, consecrare ac statim sumere et prosequi cetera. „ Immo in hoc casu *semper* solum vinum consecrandum esse arbitratur, cum Scoto, Suarez (disp. 85. sect. 1) ob rationem valde probabilem : ne sacrificium iteretur potius quam compleatur.

**215. III.** Sacrificium Missae ad varios fines offertur : 1° ad agnoscendum supremum Dei dominium in vitam et mortem omnium : qui finis est proprius cujusque sacrificii ; — 2° ad gratias Deo agendas pro collatis beneficiis ; — 3° ad nova beneficia obtinenda ; — 4° ad placandum Deum peccatis nostris iratum. Ideo simul est latreuticum, eucharisticum, impetratorium, propitiatorium, et complectitur omnes fines ad quos sub V. L. distincta sacrificia fuerant instituta. (Trid. Sess. 22. c. 1)

**IV.** In Missa plures sunt offerentes, qui tamen non omnes sacrificant : nam ad sacrificandum requiritur ordo sacerdotalis ; ad offerendum vero sacrificium sufficit moralis quaedam conjunctio cum actione sacerdotali, quae conjunctio major et minor esse potest. Offerunt autem :

1° Christus, tamquam principalis, utens sacerdotum ministerio. (Trid. l. c. c. 2) Hi nempe, ex Christi institutione, ipsius nomine offerunt : quare eorum actio est moraliter actio Christi, eo fere pacto quo reverentia a legato regio exhibita, moraliter ab ipso rege exhibetur. (Lugo, disp. 19. n. 93)

2° Ecclesia, quae sacerdotem constituit ut, per orationes et sacrificium, divina beneficia toti fidelium coetui obtineat, et publicum cultum Deo deferat.

3° Sacerdos, qui (ex ante dictis) sacrificat nomine Christi et nomine Ecclesiae. Quamvis hac duplici ratione constitutus sit tamquam persona publica, manet quoque in eo ratio personae privatae pro seipsa orantis et sacrificantis.

4° Ii qui Missae intersunt, et praesertim qui ei inserviunt ; immo et omnes fideles, quatenus unum sunt cum Ecclesia cujus nomine sacerdos celebrat. Inter eos non necessario numerantur ii pro quibus sacrificium offertur : hi enim esse possunt infideles vel animae in purgatorio detentae. (Ball. P. n. 231)

## § 2. DE FRUCTIBUS SACRIFICII MISSAE.

**216.** Fructus sacrificii Missae spectari solent dupliciter : in seipsis, quatenus continent meritum, impetrationem vel satisfactionem ; deinde relate ad personas quibus obtingunt. Breviter de singulis dicemus cum Lugo (disp. 19. sect. 9) et Ball. P. (n. 232 seqq.) Deinde ab iis velut effectibus ad causam ascendentes, agemus de valore Missae, seu de ejus efficacia ad eos fructus obtinendos iis qui sacrificium illud offerunt vel pro quibus offertur.

**I. Meritum** non acquiritur a Christo, eo quod jam non est in statu merendi, neque ab Ecclesia, quippe quae, dum sacrificium offertur, nihil agit : nemo enim actu mereri potest, nisi quando actu operatur. Merentur ergo tantum sacerdos et assistentes, de condigno vel de congruo pro statu gratiae vel peccati in quo versantur. (Vol. I. n. 44) Hic fructus est *ex opere operantis*, siquidem condignitas meriti tota fundatur in opere ipso et dignitate personae.

**II. Impetrant** omnes qui sacrificium offerunt : Christus qui non pro se, sed pro nobis interpellat (Hebr. VII, 25) ; quare ejus impetratio dicenda est *ex opere operato*, siquidem ejus effectus consequimur, independenter a nostra dignitate et meritis, propter dignitatem ipsius Christi. — Ecclesia, quae orans per ministrum suum, eo efficacius impetrat quo majora sunt merita et dignitas membrorum quibus hic et nunc constat, ac proinde *ex opere operantis*. — Sacerdos et reliqui offerentes impetrant orationibus suis *ex opere operantis*, pro majore vel minore sua dignitate et devotione.

Insuper impetrant ii pro quibus sacrificium offertur, siquidem participant impetrationi, sicut et reliquis sacrificii fructibus.

**III.** Sacrificium Missae non remittit immediate peccata mortalia, et probabilius nec peccata venialia, sed utriusque generis culpas delet mediate, quatenus pius motus impetrat quibus anima ad veniam obtinendam disponatur. Insuper, quatenus propitiatorium est, Deum placatum reddit (Trid. Sess. 22. c. 2), ne peccantibus mala inferat ; et ita rursus mediate ad obtinendam remissionem culparum mortalium vel venialium disponit.

Immediate autem et *ex opere operato* remittit poenam temporalem quae, deleta peccatorum culpa, remanet luenda, non quidem totam simul, sed secundum mensuram a Deo statutam et dispositionibus hominis proportionatam. Talis enim efficacia Missae pro defunctis aperte

colligitur ex Trid. (Sess. 25. de Purgat.) definiente animas in purgatorio detentas " *potissimum* altaris sacrificio juvari. „ Hoc enim verum non esset, si Missae deesset haec vis immediatae satisfactionis quae inest aliis mediis, puto indulgentiis, quibus defuncti juvari possunt: sola enim vis impetrandi non esset aequae utilis, cum sit minus certa. (Lugo, disp. 19. n. 153) Quodsi tanta est efficacia hujus sacrificii pro defunctis, nulla datur ratio ob quam minor sit pro vivis.

**217. IV.** Spectatis personis quibus obtingit, fructus Missae dividi solet in generalem, specialem (medium, ministerialem), et specialissimum (personalem).

**Generalis** dicitur fructus qui omnibus fidelibus, tum viventibus, tum vita functis, provenit, modo ipsi obstaculum non ponant. Nam ut ex Offertorio et Canone liquet, sacerdos debet pro omnibus sacrificium offerre. Is fructus certe est impetratorius. Communis autem et probabilior sententia (Suar. de Euch. disp. 78. sect. 2) negat eum simul esse satisfactorium, ne valor satisfactionis, qui finitus est, tanta communicatione quasi exhauriatur; quidam tamen (Ball. P. n. 239) contrarium existimant, quia valor ille finitus quidem, sed ingens esse potest. Ministrantibus et assistentibus provenit quidam fructus satisfactorius *ex opere operato* et amplior impetrationis effectus: uterque a multis (S. Alph. n. 312) fructui speciali accensetur.

**Specialis** dicitur fructus qui, ex determinata sacerdotis intentione, alicui personae vel fini applicatur. Hanc potestatem inesse sacerdoti, liquet ex universa traditione et praxi Ecclesiae, speciatim ex damnata a Pio VI prop. 30<sup>a</sup> Synodi Pistor. (Denz. n. 1393) Fructus ille erit tum impetratorius, tum propitiatorius ad iram Dei placandam: quae duo tamen materialiter vix differunt. Satisfactorius quoque erit, si is pro quo offertur est in statu gratiae.

**Specialissimus** dicitur fructus qui sacerdoti ex ipsa oblatione digne peracta provenit, et partim saltem in alios transferri nequit.

**218. V. Valor**, qui in sacrificio Missae reperitur ex parte Ecclesiae, sacerdotis et assistentium, certe finitus est, siquidem in ipsorum limitata dignitate fundatur. Dubium vero oriri potest num finitus quoque sit ejusdem sacrificii valor quatenus per illud Christus nobis applicat merita sua praeterita, quae profecto habuerunt valorem infinitum. Hoc dubium cum Suarez (de Euch. disp. 79. sect. 12), Lugo (disp. 19. sect. 12), Lehm. (II. n. 182 seqq.), Palm. (nota ad Ball. P. n. 242) etc., ita solvendum esse ducimus:

1<sup>o</sup> Si spectatur vis impetrandi, valor ille dicendus est *infinitus secundum quid*, quatenus indefinite possumus augere dona quae petimus vel

numerum eorum pro quibus petimus, et semper aderit valor ex parte sacrificii ut nostra petitio (si Deo placuerit) exaudiat.

2<sup>o</sup> Si spectatur effectus satisfactionis pro poena temporali peccatorum, hic poterit etiam *indefinite* crescere cum dispositione illius pro quo offertur vel cui datur.

3<sup>o</sup> Valor satisfactionis quae singulis obtingit non est *intensive infinitus*: siquidem numquam remittitur poena aeterna.

4<sup>o</sup> Non minuitur fructus proveniens singulis assistentibus Sacro, quando crescit eorum numerus: nam oblationes multiplicantur pro multitudine offerentium, et singulis oblationibus respondet suus fructus.

5<sup>o</sup> Valor remissionis proveniens singulis quibus Missae fructus specialis applicatur, minuitur quando eorum numerus crescit, ac proinde, ubi pares sunt dispositiones, minus prodest Missa uni e duobus pro quibus offeratur quam si pro ipso tantum fuisset oblata.

Ratio praecipua desumitur e sensu et praxi Ecclesiae. Haec enim semper consuevit Missae fructum specialem applicare uni vel paucis viventibus aut defunctis. Jamvero, si Missa applicata multis, aequae prodesset singulis ac si uni tantum applicaretur, ipsa fidelium utilitas postulare ut semper celebraretur pro omnibus defunctis, immo pro omnibus fidelibus. Pariter a praxi et constanti persuasione sacerdotum alienissimum est una Missa satisfieri posse duabus strictis obligationibus celebrandi, puta uni e stipendio, alteri e praecepto Superioris ortae.

Hinc rejicienda videtur sententia contraria, quam S. Alph. (n. 312) speculative probabilior censet, licet ejus corollaria, saltem ob probabilitatem sententiae oppositae, in praxim deduci nolit. Rationem praecipuam affert: quod Missae sacrificium idem est cum sacrificio crucis, quod fuit infiniti valoris. Sed advertendum est Christum in Missae sacrificio non jam actu satisfacere, sed applicare satisfactionem olim in cruce peractam. Haec quidem fuit infiniti valoris; sed nihil cogebat Christum ut hunc secundum infinitatem suam Missae sacrificio adnecteret; e praxi autem Ecclesiae constare videtur positivam Christi voluntatem fuisse ut Missae sacrificio determinatum tantum satisfactionis valorem adnecteret. Sic et sacramenta fructum infinitum sacrificii crucis applicant, et tamen effectus limitatos tantum producant, non solum ob finitam capacitatem subjecti (ut vult S. Alph. l. c.), sed etiam ob positivam Christi institutionem. Secus enim sacramenta multiplicata aut iterata nullum novum effectum producerent, quamdiu subjecti dispositiones manent eadem, ex. gr. si homini moribundo et sensibus destituto prius datur Eucharistia et deinde extrema unctio. (Lehm. II. n. 184)

Ex hac controversia patet *secundam intentionem*, ad quam interdum Sacrum celebrandum promittitur vel injungitur, prorsus alia ratione intellegi prout quis priori vel posteriori ex sententiis istis adhaeret. In

posteriore enim, tantum obtinebitur secunda intentione, quantum prima, ad quam ex. gr. ob stipendium celebratur. In priore, sacerdos promittit se extensurum esse fructum impetrationis ad hanc alteram intentionem et eidem applicaturum esse fructum satisfactorium, sub condicione quod is cui illum ob primam intentionem applicaturus est, jam eodem non indigeat. (Lugo, l. c. n. 257) Sentiant nulli AA. (Scavini, III. n. 196; Lehm. l. c.) eum qui stipendium dedit semper velle ut si is pro quo Sacrum petit sit incapax, fructus sibi alterive amico suo cedat. Quidquid de tali voluntate opinemur, practice licebit fructum specialem alii applicare sub condicione quod omnino salva sit stipendium dantis intentio.

### § 3. DE APPLICATIONE FRUCTUUM MISSAE.

**219. I. Potestas applicandi fructus Missae ab ipso Christo confertur sacerdoti, ideoque inest characteri sacerdotali.** Patet ex ordinationis verbis: "Accipe potestatem offerendi sacrificium tam pro vivis quam pro defunctis." Hinc fructus sacrificii, saltem quatenus a Christo proveniunt (n. 216), ita sunt in potestate sacerdotis, ut ab isto solo pendeat valor eorum applicationis, perinde ac validum exercitium reliquarum facultatum quas circa sacramenta accepit. Ecclesia tamen hanc applicationem quandoque illicitam efficit, puta cum prohibet ne Missa celebretur pro excommunicato vitando.

Fructus specialissimus, ex ipsa rei natura, contingit celebranti; fructus generalis datur omnibus fidelibus per intentionem, quae semper supponenda est sacerdoti, celebrandi juxta Ecclesiae mentem, pluribus locis sacrae liturgiae expressam. In praxi igitur unice curandum est de intentione, qua applicetur fructus specialis.

**II. Ut valide applicetur alicui personae de se capaci fructus specialis, requiritur et sufficit ut applicatio fiat:**

1° Per intentionem saltem habitualem. Haec sufficit: siquidem applicatio fit per modum donationis. (S. Alph. n. 335) Hinc valide applicatur fructus ei cui sacerdos eum antea applicare intendit, modo eam non mutaverit sciens volens. Quodsi, immemor prioris intentionis, alteram elicit, fructus sequetur intentionem magis universalem et absolutam. Ex. gr. si hodie elicio intentionem applicandi crastinum Sacrum Petro, etiamsi ex oblivione pro alio applicaturus sim, cras vero applico pro Paulo, Sacrum proderit Petro pro quo elicitur intentio universalior et revocatoria intentionis posterioris. Quodsi intentiones contrariae aequales sint, puta dum hodie intendo applicare Petro et cras, rei immemor, aequae absolute applico Paulo, videtur

praevalere haec posterior, quae actualis erit tempore applicationis dum prior mere habitualiter persistit. (Lugo, de Sacr. in gen. disp. 8. n. 121 seqq.) Practice, cum saepe dubium sit quae intentio praevaluerit, celebretur alterum Sacrum ad intentionem cui nondum satisfactum esse Deus norit.

2° Per intentionem qua determinetur una vel plures personae aut fines. Nihil enim efficitur per intentionem, quae postulet aliquod complementum ut versetur circa rem determinatam, puta: "Celebro pro eo cui Deus fructum dare voluerit, celebretur pro uno e decem qui mihi eleemosynam dederunt," nullo etiam implicite determinato. Non requiritur tamen ut sacerdos explicite norit pro qua persona vel ad quem finem celebret. Hinc plane sufficit ut velit applicare secundum ordinem certum, sed ignotum vel oblivioni datum, puta quem intendit Superior, quem ipse initio mensis adnotavit, etc. Ubi autem satisfaciendum est pluribus intentionibus desumptis ex aliquo cumulo, puta propter stipendia accepta e capsula exposita ad eleemosynas Missarum colligendas, celebrare poterit sacerdos ad intentionem dantis. Hic enim habet intentionem, saltem implicitam, ut singuli conferentes accipiant pro rata pecuniae collatae et juxta ordinem temporis quo contulerunt: nam aequum est ut qui prior est tempore, potior sit jure. Integrum quoque erit celebranti singulas Missas applicare omnibus qui pecuniam contulerunt, pro rata eleemosynae: siquidem cum fructus Missae sit divisibilis, celebratis omnibus Sacris requisitis, erit cuique suum. (S. Alph. n. 335; Gury, II. n. 356 seqq.)

3° Saltem ante consecrationem alterius speciei. Nam sacrificium, perinde ac sacramenta, effectum suum *ex opere operato* producit, dum conficitur et actu existit; neque est in potestate ministri effectum suspendere et postea alicui applicare. Igitur, peracto per alteram consecrationem sacrificio (n. 213), frustra intentio eliceretur. (Laymann, l. 5. tr. 5. c. 2. n. 12; Bus. ap. S. Alph. l. c.)

**220. III. Si sacerdos nullam intentionem tempore apto elicit, probabilius fructus specialis obvenit celebranti et aliis pro quibus offert:** nam semper videtur habere hanc intentionem ut fructus quem nulli alii determinato applicat, obtingat iis pro quibus generaliter offert, sicut patet e verbis offertorii: "Offero tibi pro innumerabilibus peccatis etc." Quare non probatur illa obligatio quam quidam (Billuart, diss. 8. a. 4; Gury, II. n. 354) adstruunt, semper faciendi determinatam intentionem in celebrando, ne fructus specialis maneat in thesauro Ecclesiae et sic minus utilis evadat. Praestat tamen talem intentionem elicere, quia minor erit impetrationis fructus, si nihil peculiare a Deo petitur. (Lugo, disp. 19. n. 227 seqq.)